[Abschrift gleichzeitig] 5a

Reuerendo in christo patri ac domino
Domino Ioanni Turzoni Episcopo Vratislao

S.P. Litteras tuas ornatissime presul: non minus bone mentis quam doctrinę,
quam eloquentię quam humanitatis preseferentes, plane dignas iudicabam, que
in tui nominis gloria ederentur: ni meam gloriam immodice predicarent.
Nec ita multum abfuit, quin me nitore suo a rescribendo deterruerint:
sed malui famę detrimentum accipere: quam parum humanus videri. Essem
autem inhumanissimus, si a tanto presule talibus literis prouocatus: pror-
sus obticuissem. Tantum autem abest: vt pudeat me vinci a iunioribus,
vt vehementer & gaudeam & glorier seculum nostrum priscę barbariei
veternum exuere, & in optimis literis foeliciter reflorescere. Neque hic vllam
laudis partem mihi vendico, nisi si quos meę lucubrationes expergefecerint,
ad meliora studia. Ne me putes agnoscere laudes, quas mihi candide magis
quam vere tribuis. Porro nouum non est: apud Hungaros esse preclara ingenia,
quando Ianus ille Parrhasius, tantum laudis meruit in carmine, vt Italia
vltro illi herbam porrigat. Pisonis cuius memoriam mihi refricas: tam
iucunda est recordatio, quam olim Romę iucunda fuerit consuetudo. Quid
in illo doctius, aut quid festiuius. Ego hunc preceptorem magis gratulor
serenissimo regi vestro quam regem ipsum: fuerunt & hic qui me Ferdinando prin-
cipi preceptorem dare vellent. Et est adolescens prorsus indole diuina, do-
cilitate incredibili, probitati virtutique natus. Ad hec amabili quadam
morum grauitate. Sed erant. Cur me nollem aule committere. Is tamen, vt
ipse mihi retulit, libellum de principis institutione, semper habet in manibus.
Velij carmen legens, quod proxime mihi redditum est: Lucani tubam
audire videor: dignus ille qui magnos reges decantet, non Erasmum. Nunquam
autor tibi fuero, vt quemadmodum scribis octo dierum itinere, ad huius
homuntionis spectaculum, accurras. Nam sat scio, et te peniteret itineris,
& ego nonnullam existimationis meę iacturam apud te facerem. Si
quid Erasmi visendum, in libellis nostris conspicatus es. Ceterum nec ego sum
Liuius, nec tu Gaditanus quispiam barbarus. Quod autem insuper mu-
nus adornas. An non hęc tua epistola, qua mihi pectus istud tuum
dicas, amplissimum est munus. Mihi certe nullum eius pignus exhiberi
potuit charius: maxime quod non grauata sit, tua celsitudo tam prolixam
epistolam proprijs digitis describere. Bene vale Louanij An. M.D.19.
12 kalendas Maias.

Pannonius
Hec dictio e manu Erasmj.

Erasmus Rotrodamus.

Eraſmus Roterodamus.